20



Inter libros
Josephi Mariae Parascandolo
Antecessoris Regii
A. L. N.

JURISDICTIONIS ECCLESIASTICÆ

SEU FUNDAMENTORUM

JURIS CANONICI

BREVIS EXPOSITIO

Ex Italico authographo.

Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit: qui autem resistunt, sibi ipsi damnationem acquirunt. Rom. cap. 13.

ASSISII MDCCLXXXII.
Apud Octavium Sgariglia Episcopalis Typographi.

Superiorum concessu.

JURISDICTIONIS ECCLESIASTICÆ

BREVIS EXPOSITIO.

I. Ecclesia non est Collegium, sed Status: non quod gerat in se ipsa Societatem instructam cunctis juribus pacis, & belli, & tributorum, & vitæ, ac mortis, cujusmodi est in Regnis Sæcularibus; sed quod importat Societatem quamdam stabilem, stabiliterque adunatam in iisdem sponsionibus, iisdemque obligationibus ad eosdem fines obtinendos. Contra Puffendorfium. Proprium est, inquit, Collegiorum quod omnem suam potestatem habeant a Principe: at Ecclesia potestatem suam habuit, non ab Imperatoribus, aut Regibus, sed a Christo, a quo habuit Baptismum, qui facit membrum esse ejusdem Ecclesiæ, & omnia alia Sacramenta, quæ connexa conservant in Ecclesiæ societate: atque habuit totam Fidem, & præcepta Legis Evangelicæ, quibus regitur, gubernaturque Religio Catholica. Nec vero Christus formandæ Ecclesiæ potestatem, ejusque regendæ acce-

pit unquam a Principibus; nec voluit, exegitve eorum approbationem, aut confirmationem formatæ a se Ecclesiæ. Non ergo est Ecclesia Collegium, sed & Status. Secundo loco Ecclesia debet esse una: *Unus Deus, una Fides*. Quodsi esset ipsa Collegium, haud una esset, sed tot essent Ecclesiæ, quot Principes, qui Fidelibus Christi imperant in Orbe terræ: essent enim diversa Capita, diversi Ritus, diversa præcepta pro arbitrio Gubernantium; nec Fideles unius Regni haberent conjunctionem cum Fidelibus alterius, neque subjectionem eamdem.

Demum nihil Ecclesiæ deest, quo sit Status: non deest gentium conjunctio, atque societas, cum gentium societas nulla sit extensior, quandoquidem extensa ipsa est per Orbem totum: non deest Caput summum, cui sint subditi omnes, quique ab eo regantur, & gubernentur; est enim ejus Caput visibile Summus Pontifex: *Definimus, Romanum Pontificem esse Successorem B. Petri, Principis Apostolorum & esse Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ Caput*. Conc. Florent. Sess. ult. nec desunt Ministri subalterni, & subordinati, cum sint Episcopi, aliique minores Præsules: non deest

nexus Legum, quæ adhærentes teneant Capiti cœtus personarum, cum pro cunctis sit Evangelium, eademque Sacramenta, eadem præcepta: non deest potestas, cum sit potestas Clavium, potestasque puniendi reos per separationem a societate. Est ergo Ecclesia verus Status, verusque Principatus.

Obiicitur sententia quædam S. Optati Milevitani, qui dixit, Ecclesiam esse in Statu, non Statum in Ecclesia: ac, si Status hæc esset, foret Status in Statu, quod esse non potest. Reponitur autem, esse optime posse Statum in Statu quum diversi sint inter ipsos quantum ad finem. Atqui Ecclesia finem habet diversum a fine Status sæcularis: hic enim respicit bonum commune temporale; Ecclesia respicit spirituale, æternamve felicitatem. Neque adversa est huic rei sententia S. Optati. *Ecclesia* enim *est in Statu*, *quemadmodum anima in corpore*, inquit S. Isidorus Pelusiota: sicut ergo corpus legem non ponit animæ, neque hæc ab ipso dependet ut a principio in actionibus incorporeis, quas sola imperat, & elicit, corporeas licet sine corpore non exerceat; ita potestas Ecclesiastica respectu Sæcularis. S. Optatus dicit Ecclesiam esse

in Republica , hoc eſt , in Imperio Romano , volens indicare debitum Principibus eſſe honorem etiam ab iis, qui primates ſunt in Eccleſia : id quod ex contextu adparet ; ac res eſt de ſe perſpicua : neque aliud dicere poterat ; non enim tota erat Eccleſia in ſolo Romano Imperio . Præterea idem Sanctus in libro contra Parmenianum vocat Epiſcopos *Apices , & Principes omnium* ; quodsi ſunt Principes omnium Epiſcopi ; ergo non ſunt ſpiritualiter ſubditi Imperatori : ergo ne hic quidem eſt illis Superior , quod ſpectat ad Eccleſiaſticam poteſtatem . Jam vero

II. Si Eccleſia eſt Status, conſequitur neceſſariò ut potestatem habeat liberam, nec dependentem a Poteſtate civili in iis rebus, quæ Status ſui propriæ ſunt : ſecus non eſſet Status : Status namque, ut a Collegio diſcrepat , neceſſario exigit non eſſe alteri Principi ſubditum in eo genere , in quo Status eſt : & habere leges , non modo proprias , ſed latas etiam propria auctoritate : utque quod ipſe præſcribit , ac jubet ſibi ſubditis , ſubjectum haud ſit alii Principatui , ac Poteſtati . Deinde Chriſtus dedit Eccleſiæ poteſtatem veram , ac non dependentem . Habuit nempe a Deo Patre

amplam poteſtatem: *Data eſt mihi omnis poteſtas*, Matth. 28.: eamque impertitus eſt Apoſtolis: *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos*, Joan. 20.: Divo Petro dedit claves: *Tibi* (non cunctis, non Regibus) *dabo claves Regni Cælorum*, Matth. 16.: eidem dixit: *Paſce agnos meos*, Joan. 21., quin Reges exciperet: Petro dixit Matth. 16.: *Et quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum et in Cælis*; atque Apoſtolis Matth.. 18.: *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in Cælo*: ac voluit ipſis haberi ſummiſſionem, & obedientiam, ſicut ſibimet ipſi: *Qui vos audit, me audit; qui vos ſpernit, me ſpernit*, Luc. 10.: Apoſtolis dedit poteſtatem promulgandi ſuam legem in toto Orbe: *Euntes docete omnes gentes*, Matth. 28. & quidem quin requireret conſenſum, & approbationem Principum; quinimo juſſit promulgationem, non obſtante Principum repugnantia: *Ad Reges, & Præſides ducemini propter me*, Matth. 10.: *Ne timueritis eos*. Apoſtoli exercitarunt poteſtatem ſibi datam ſupra Chriſtianos cum libertate, ac ſine dependentia a Principibus, condendo leges; ac reſtiterunt Principibus in formanda nova Societate, uſque adeo ut Principibus

dixerint Petrus, & Joannes Act.4. *Si justum est in conspectu Dei vos potius audire quam Deum, judicate: non enim possumus, quæ vidimus, & audivimus, non loqui &c.* quis Principem ullum adijt ad eligendum Apostolum, seu Matthiam Judæ substituendum? vel ad colligendum Concilium Apostolicum? vel ad condendos Apostolicos Canones? vel ad creandos Episcopos Timotheum, & Titum? vel ad excommunicandum incestuosum Corinthium? vel ad communionem sanctorum Mysteriorum? imo vero cum esset accusatus Paulus apud Proconsulem Achajæ in re Religionis, recusavit causæ cognitionem Proconsul dicens: *Si quæstiones sunt de verbo, & nominibus, & lege vestra, vos ipsi videritis: Judex ego horum nolo esse.* Apostolos autem consectati sunt in exercenda potestate spirituali, qui ipsis successerunt.

Tertio loco Ecclesia Divinâ dispositione habet Ecclesiasticam Hierarchiam, seu sacrum Principatum, qui regit ipsam, & gubernat: *Siquis dixerit, in Ecclesia Catholica non esse Hierarchiam Divina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, & Presbyteris, & Ministris, anathema sit,* Trid. Sess.23. Can.6. Si Ecclesia esset in

rebus suis propriis subdita alteri potestati, tolleretur, destruereturque ratio Hierarchiæ. Principatus enim esse non potest, nisi absolutam habeat auctoritatem: quemadmodum Princeps sæcularis nullus est, quin polleat jurisdictione.

Demum Traditio, & Ss. Patres adscripserunt semper Episcopis, & Sacerdotibus, numquamque Laicis, præfecturam, ministerium, & curam sacrarum rerum. Conferantur testimonia Ss. Clementis Romani, Ignatii, Optati Milevitani, Cypriani, Justini, Irenæi, Hilarii, Gregorii Nazianzeni, Chrysostomi, Hieronymi, Augustini, Gregorii Magni, atque ea Clementis Alexandrini, Origenis, Tertulliani, & Synodi Antiochenæ apud P. Cerboni to.4. lib.30, c.5. §.6. *de jur. & leg. disciplina*. Ultra ergo rationem, & Sanctam Scripturam Traditio etiam, & Patres docent; Principi sæculari non esse in res sacras potestatem, quæ ad Ecclesiam pertinent, cuique est in easdem potestas tota.

Vossius, Grozius, Puffendorfius, Budæus, quo sustineant jus esse Principibus in res sacras, opponunt primo, *non esse potestatem nisi a Deo*, eique deberi obedientiam, & subjectionem *etiam propter*

conscientiam, ut loquitur D. Paulus: *Omnis*, inquit, *anima potestatibus sublimioribus subdita sit*, Rom.13.: unde fit obediendum esse legi Principis sæcularis, etsi de sacris rebus præscribat. Respondetur autem, Apostoli verbis probari non posse Principis sæcularis potestatem in rebus sacris. Primum enim Scriptura loquitur aperte pro Episcopis, ut ostendimus, & Sanctus ipse Paulus Act.20. *Spiritus Sanctus*, inquit, *posuit Episcopos* (non Reges) *regere Ecclesiam Dei*: præcipit quoque omnibus, quin ullum excipiat, obedientiam, & subjectionem habendam iisdem Episcopis, qui prædicant verbum Dei: *Obedite præpositis vestris*, Hebr.13. Deinde adscripta illa Principibus potestas probaret nimium; probaret enim obediendum esse etiam Principibus ethnicis, adversisque Religioni, iisdemque jus esse in Religionem Christianam, resque ejus sacras: ac debuisse Apostolos, eorumque successores abstinere a Fidei prædicatione, & a cætibus suis piis Fideles, Principibus inhibentibus: tum Apostolos ipsos, Martyresque, & Christianos nascentis Ecclesiæ, qui non obediverunt, fuisse perduelles principatui: quo nihil dici potest absurdius. Principum ergo

auctoritas sic est intelligenda, ut non simus Apostolo ipsi, & Scripturæ contrarii: nimirum Potestati civili deberi obedientiam, ac subjectionem, non *in omnibus*, *& per omnia*, sed in rebus, quæ cum ad Principes pertinent, tum sunt justæ; in rebus autem spectantibus Religionem, spiritualibus, sacrisque obediendum esse Ecclesiæ. Atque hoc locuti sunt sensu Chrysostomus, & Bernardus, quos adversarii pro se adducunt. Res est certa, ac veritas Fidei, dedisse Christum Dominum Petro potestatem super Ecclesiam, atque à Petro in successores transisse, nec per priora tria sæcula ulli eam dedisse pagano Imperatori. Quis ea sub sæcula rexit Ecclesiam? num qui est ipsam persecutus? Num suam tunc Ecclesia unitatem conservavit, propagata est usquequaque, permansit in Fide, præceptis, cultu, ritibus, sacrisque cæremoniis, & contra inimicas potestates prævaluit casu, ac sine Rectore? Quis unquam dixerit, Religionem crevisse, & esse tot in provinciis conservatam, in mediis ipsis persecutionibus, sine Moderatore? An vero Christus dedit Apostolorum successoribus regimen Ecclesiæ adusque dumtaxat tempus Principum Christianorum? Ubi legitur sub-

latum illud esse Ecclesiasticis, ut iis Principibus conferretur? Num ii illud comparant in Baptismo? Atqui per eum fiunt ipsi subditi legibus Ecclesiæ, hujusque filii, non ea Superiores, neque Ecclesiam subdunt dominio suo: *Imperator*, ait S. Ambrosius, *est Filius Ecclesiæ, non supra Ecclesiam*. Ergo non est Principibus jus in sacra, ut commemorati supra Hæretici commentantur.

Opponunt autem secundo loco, dictum a Christo non se venisse *ministrari*, atque ad Apostolos: *Reges gentium dominantur eorum; vos non sic*. Attamen Christi dictum excipi debet de abusu potestatis Mundano more exercitæ fastu, ac superbè: *Vos non sic*, sed potestatem humiliter exercere debetis: quo intellectu pugnantia omnis evaditur. " *Dominari*, ait D. Thomas, *ali-*
„ *quando* sumitur pro præesse; aliquando
„ pro serviliter sibi servum subjicere; &
„ sic sumitur *hìc* ". Quod siquis omnem potestatem vellet exclusam, nullus ipsi esset admittendus in Ecclesia, qui præsideret, essetque Caput, neque Episcopus, nec Papa; quod Fidei repugnat.

Opponunt tertio loco quasdam sententias Patrum. Verum nihil ex omnibus aliud

colligi poteſt , niſi quod Principes uti poteſtate ſuà valent non modo in commune commodum præſentis vitæ , ſed etiam in utilitatem Eccleſiæ , non quidem eam regendo , & gubernando , ſed protegendo , ac defendendo . Protectoris porro, aut Defenſoris munus conſiſtit in auxilio Eccleſiæ præſtando , quo ſit opus , ut obſerventur ejus leges , decreta , conſtitutiones , ſive Conciliorum ſint cum generalium , tum particularium , ſive Papæ , aut Epiſcoporum : debet item Protector munire , ac defendere jura Eccleſiæ , ejuſque libertatem , atque ejus bono invigilare . Quin tamen vim unquam contra inferat , nec leges ejus immutet , aut revocet ; ſecus non Protectio eſſet , ſed Dominatio : *Nolit Deus ut gubernet Protector* ajebat Illmus Fenelonius in Serm. an.1707. Quod ſi Prælati defecerint , aut erraverint , Protector nunciet ; & conſulat ; nec dubitet , quin adfuturus ſit Deus Epiſcopis , quippe qui dixit *Ecce ego vobiſcum ſum* .

Quarto loco opponunt Francorum Regum Capitularia . At his jus Regum in Sacra nihil aſſeritur ; duntaxat enim exponunt , præſcribuntque Canonum obſervantiam : id quod Reges utique facere poſ-

sunt, ut Ecclesiæ Defensores, non ut ejus Legislatores. Præterquamquod Capitularia fuerunt approbata a Sede Apostolica, ut demonstrat Cerbonius.

Denique opponunt rationem; quoniam Potestas summa in uno tantum esse potest; secus non esset summa: " Eximi quidquam ,, ab imperio Summæ Potestatis nulla ratio ,, patitur: in uno populo duas esse Summas ,, Potestatis repugnat," inquit Grozius lib. de Imperio Summ. Potest. cap. I. t. 7. Cum ergo summa sit Potestas civilis, præcipere ipsa potest etiam in Sacris rebus. Hæc illi. Concedimus autem, Potestates duas Summas in Statu unico esse haud posse, quæ sint ambæ ejusdem generis; possunt vero, quæ sunt inter se diversæ. Qui Summus est in uno genere, haud est Summus in cunctis: qui Summus est in scientiis, non est hoc ipso Summus in divitiis. Quæ Summa est Potestas, Summa esse debet in rebus, quæ suæ sunt jurisdictionis, non iis, quæ ad ipsam non adtinent: nec Summum esse in dominio alicujus rei importat ut sub ejus dominium cadat quæcumque alia, quæ ad ipsum non spectat. Deus solus ita est Summus, ut sub dominio habeat omnia suo, quia Summus est in omnibus. Jam vero

Poteſtas Civilis reſpicit politica, quæque ſunt bonum temporale; Poteſtas Eccleſiaſtica reſpicit res Sacras, & æternam felicitatem; habet diverſas actiones, ac diverſa officia: eaque a Chriſto, Regum Rege, & Domino dominantium, data eſt Epiſcopis, non Principibus. Nulla ergo eſt repugnantia; nec regimen Eccleſiaſticum Civili contrarium eſt; eſt namque in diverſo genere. Et vero ratio ipſa Grozii ad juriſdictionem Eccleſiaſticam a Principibus excludendam eſt. Eſt enim poteſtas, quam in ſpiritualibus, & Sacris rebus Chriſtus dedit Eccleſiæ, profecto Summa. *Nulla* ergo *ratio patitur eximi quidquam*, quod ad eam ſpectet, *ab imperio Summæ poteſtatis*, quæ eſt Eccleſiæ; ſecus non eſſet Summa. Ergo judicium, regimenque ſacrarum rerum ad Epiſcopos adtinet, quandoquidem *Eccleſia*, inquit S. Cyprianus, *eſt in Epiſcopo*, atque ad Romanum Pontificem, qui Caput eſt. Ergo Tribunal quodlibet, quod in Sacrarum materia rerum ab Epiſcopis non dependeat, aut a Pontifice, eiſve opponatur, admitti nequit, quin violetur jus Summum Eccleſiaſticæ Poteſtatis. Quodſi Poteſtatis Civilis Summæ juri derogaretur adrogando Civilium cauſarum

cognitionem a foro Principis non dependentem, aut impediendo ne ad ipsum deferrentur; sic item accidet, si Causæ Ecclesiasticæ subtrahantur tribunalibus aut minoribus, aut Supremo Ecclesiæ.

III. Perpetuitati, & conservationi Ecclesiæ, ac bono ejus regimini non sat est Potestas Magisterii, seu Doctoris, seu meræ directionis. Ejusmodi potestas non sufficit bonæ gubernationi Societatis politicæ, propterea quod homines non peccant dumtaxat præ ignoratione, & contra licentiæ ausus, atque contumaciam debilis multo est Potestas, quæ dirigat, suadeatque tantummodo; quoniam eam auscultat solum qui vult, & qui vult, se subtrahit, atque ingenio quisque fruitur suo. Quid Regnum esset, quod directrice tantum potestate administraretur, nisi *contumacium multitudo*? Pariter Ecclesiæ satis haud est suasio, & doctrina. Quei conservare unitatem suam posset, si libertas esset subditis cogitandi, & agendi sine coercendi eos in Ecclesia Potestate? Non aliud profecto esset nisi multitudo licentiorum, & contumacium; sapientiusque esset humanum Regimen, quam Divinum; nam meliora illi ad bonam moderationem præsidia suppe-

terent. Equidem ad plantandam Fidem inter gentes sufficere poterat Magisterium, sed quod stipatum erat Miraculis: an hæc quotidie patrantur? Aliter in non sibi subditis gentibus, aliter in subditis Christianis procurare posse Fidem debet Ecclesia. Nec vero sine Præside, qui adigere valeat, locus in Ecclesia esset obedientiæ, quam præscripsit Apostolus, quæ obedientia præceptum supponit: *Obedite Præpositis vestris:* nec veri a falsis Ministri discernerentur; nec valerent impediri scandala, propter quæ S. Joannes reprehendit Episcopos Pergami, & Tiatiræ, quoniam substinebant sectarios Baalam, & Jezabelis, cum potestate ipsis sua opponere sese deberent.

IV. Ecclesia habet potestatem coactivam. Contra Budæum, & alios. Primum enim directiva sola, ut modo vidimus, non sufficit; deinde Scriptura, & Patres cogentem concedunt. Christus Matth. 18. dixit: *Dic Ecclesiæ: si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus:* hoc est, a communione secretus: ecce tibi potestatem corrigendi, & pertinaces a communione separandi; id quod vi cogente fit. Et adjunxit quidem Dominus: *Quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata & in*

cœlis : quæ verba , ut item illa : *Tibi dabo Claves Regni Cœlorum* , excipi debent secundum Interpretes non modo de potestate remittendi peccata , sed etiam ad ferendas Leges , & Censuras . S. Paulus cum Corinthiis non est usus solum potestate dirigendi , sed minatus est illis pœnam corporalem , ut exponunt Clemens Alexandrinus , Illarus Diaconus , Chrysostomus , Theodoretus , Primasius , Theophilactus , &c. *Quid vultis ? in virga veniam ad vos ?* 1. Cor.4. Et re quidem mulctavit incestuosum , tradens eum Satanæ , a quo in corpore torqueretur . In secunda sua Epistola iterum reprehendit Corinthios , ac minas repetit , protestans , non se parciturum , atque usurum sibi a Deo data potestate : *In promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam* , 2. Cor. 10. & cap. 13. *Si venero iterum , non parcam : Ut non præsens diutius agam secundum potestatem , quam dedit mihi Dominus* . Vi coactiva usus est Christus, quum flagello ejecit bis è Templo profanatores : usus item est S. Paulus , quum Alexandrum , & Himeneum excommunicavit , quumque Elimam Magum visu privavit : usus S. Petrus , quum punivit morte Ananiam , & Saphiram . Nisi voluisset

Deus vim coactivam in Ecclesia, nullum ejus exemplum dedisset, nec ejus usum miraculis comprobasset: neque ausi essent Apostoli Divinam virtutem ad reos plectendos implorare.

Deinde vis cogendi corporali pœna patet ex sententiis SS.Patrum. S. Gregorius Nazianzenus Orat.20. Episcopis tribuit jurisdictionem *coërcitivam*: S. Augustinus *de Moribus Eccl.* c.28. adscribit Ecclesiæ *coërcitionem*, & Epist.159., *Sæpe*, ait, *in judiciis solet ab Episcopo virga adhiberi*: usus flagellationis confirmatus est a Conciliis Agathensi Can.38. Turon.2.Can.20. Narbon.sub Reccaredo Can.12. a S. Greg.M. lib.1I.Ep.71.al.66. lib 9. & eo lib.9.Ep.65. al. lib.7. Ep.67. Probatur etiam ex Patribus, & Conciliis usus exilii, carcerisque. *Decanicæ*, sive carceres Ecclesiæ memorantur præterea ab Arcadio, & Honorio anno 396. & a Justiniano Novell.77., & a Capitularibus geminis Franciæ, & a Conc. Ephesino p.1. Can.30. apud Labbeum to.3. Hieremias Bernettis recenset amplius 20. Concilia sæculo septimo priora, & amplius 60. posteriora, præter alia antiqua monumenta, ex quibus conficitur vis coactiva, qua usa est Ecclesia. Denique Pater debet,

quum commonitiones non profunt, flagellis filium accipere, quin dependeat a Principe; ecquid Ecclesiæ Matri negetur animadvertere in filios sceleratos, quo resipiscant?

Est, inquiunt, Ecclesia Mater: debet igitur filios regere amore, non ulla vi. At etiam Matres tenentur, quum opus sit, morum perversitatem in filiis pœna coërcere. Quantumvis amantissimi Populorum Patres sint Principes, adhibere possunt, atque adhibent vim contra inobedientes. Cur ergo Matri Ecclesiæ jus desit ad exigendam pœnæ metu obedientiam a filiis, qui non amore ducantur? Debeatne mali reos exempli libidini permittere cum innocentum damno, totiusque corporis detrimento? Foret is amor stultus, & ferus. Quoties pœnæ timore inducuntur homines ad volendum bonum, in quod non feruntur amore justitiæ? Quodsi pœna bonos non efficit, efficit certe ne malum serpat in alia membra, totumque corpus: minusque nocet servilis a malo abstinentia, quam nota impunitas, quam consequitur generalis licentia, & indomabilis contumacia.

Sed vi, ais, haud eget Ecclesia suâ; pro

ea ſiquidem eſt virtus brachii ſæcularis. Eſt utique manus Principum admodum opportuna: at primo *Lex*, inquit optime D.Thomas, *de ſua ratione habet primo quod eſt regula humanorum actuum, ſecundo quod habet vim coactivam*, l. 2. q. 36. ar. 2. Atqui eſt Eccleſiæ ferendarum poteſtas legum. Deinde non ea debet Principes ſemper conſcios facere rerum ſuarum, nec ſemper poteſt, nec ſemper expedit. Nec vero Principatui quidquam nocet, quod pœnis ad obediendum ſibi Eccleſia adigat filios ſuos; quinimo prodeſt: juvat enim Principes, bene eos eſſe temperatos, qui ſibi ſubditi ſunt. Non perduelles unquam, ſed fideles magis lex Chriſti fecit; atque adeo ii jugum ejus amant excutere, qui licentiam captant.

Verumtamen inutile eſt cenſuras infligere; nec timentur enim. Sunt ſane, qui non timent, ſed timent plurimi. Quei non is timeat, quem Fides animat? nam qui excommunicatus, idem eſt mortuus Eccleſiæ, Chriſto, ſaluti: *Spirituali gladio*, inquit S. Cyprianus, *ſuperbi, & contumaces necantur, dum de Eccleſia ejiciuntur*; Ep.61. ad Pom.: traditus eſt poteſtati Diaboli, tanquam filius perditionis, atque igni de-

ſtinatus : *traditus Satanæ* I. Cor. 5. & I. Tim. I. Ac deliɛtorum quidem frequentia frequentiam pœnarum expetit, ne impunitas licentiam pariat. Quod ſi quando exceſſum eſt in poteſtatis uſu, non propterea poteſtas ipſa aut mala, aut nulla eſt : neque enim Principatus excluditur, quoniam Principes quandoque humana ſint paſſi : ac bonus quiſque Catholicus judicia potius debet Matris Eccleſiæ revereri, quam ejus judicem agere : debetque meminiſſe, legum, judiciorumque Eccleſiæ vindicem eſſe Deum.

Sed non habet Eccleſia forum, neque enim habet tribunal ſecundum leges : & antiquitus quidem judicium Eccleſiaſticum appellabatur *Audientia Epiſcopi*. Reſpondetur : ſi ſermo ſit de foro ſtrepitus, & tumultus, atque armis ſtipato, equidem non illud ſemper habuit Eccleſia ; at ne Tribunalia quidem antiqua ſemper habuerunt, quibus tamen non defuit juriſdictio. Si de cauſis prorſus civilibus, nec forum, nec juriſdictionem ſuam Eccleſia habet ; atque iis in cauſis tenet *Audientia Epiſcopi*, electi ſcilicet arbitri de conſenſu partium ad earum lites dirimendas. Si demum de cauſis Eccleſiaſticis, ſuum eſt Eccleſiæ forum :

cui enim data eſt a Deo juriſdictio, eidem & forum datum eſt.

V. Jam Eccleſia jus habet ad præſtituenda omnia media, reſque ſpectantes ad aſſecutionem ſui finis, ſcilicet felicitatis æternæ. Cuique enim Statui jus eſt ad præſcribenda, regulandaque omnia, quæ ſuum finem ſpectant, bonum nempe publicum, ac temporalem tranquillitatem. Eſt autem Eccleſia Status pro fine habens æternam felicitatem.

VI. Ea vero inter media primum eſt Prædicatio Fidei, & doctrinæ. *Fides* enim *ex auditu*: ac *ſine Fide impoſſibile eſt placere Deo*. Eſt ergo jus Eccleſiæ ad Prædicationem. Sane Apoſtolis, nec Magiſtratibus præcepit Chriſtus ut irent per totum Mundum ad prædicandum: *Euntes docete omnes gentes*, Matth.28. Itaque ad Eccleſiam ſpectat conſervare firmum, ſtabileque depoſitum Fidei, & doctrinæ, judicareque de abuſibus, & erroribus. Spectat ad Principes dogmata ab Eccleſia accipere, & morum doctrinam.

VII. Eſt alterum Adminiſtratio Sacramentorum. Spectat ergo ad Eccleſiam cum Sacramenta adminiſtrare, tum ritus decernere.

VIII. Pro Sacramentorum Administratione sunt necessarii Ministri. Ecclesiæ ergo jus est ad eos eligendos, & consecrandos, utque leges ferat ad id opportunas. Cuilibet Societati jus est eligendi Ministros suos. Ergo est item Ecclesiæ. Christus instituit Ecclesiam, quæ Episcopos, & Sacerdotes eligat. Itaque S. Gregorius II. ad Imperatorem Leonem Isauricum, Concilium Parisiense an.614. & Œcumenicum 8. declararunt, electionem Episcoporum spectare ad Ecclesiam, non ad Principem. Quare si sunt modo permissæ Principibus nominationes, ac præsentationes, non ex jure Principatus id est, sed ex gratia Ecclesiæ, quamvis non sine respectu ad collata in eam beneficia, & ob auxilium brachii sæcularis: attamen ad Ecclesiam adhuc spectat judicium de habilitate, atque idoneitate nominatorum. Nam sicut Principis est judicare numerum suorum Ministrorum, ipso cognoscente necessitatem, & convenientiam; ita est Episcoporum, & Ecclesiæ judicare sacrorum numerum Ministrorum. Et quoniam in electione non habet spiritum Propheticum, ut eligat solum bonos, necesse ideo est ut plures eligat, quo sufficiatur iis, qui deficiunt. In Collegio

Apo-

Apostolico, quamvis a Christo electo, opus fuit sufficere Judæ Matthiam, & è septuagintaduobus, etiam a Christo electis, Discipulis plures defecerunt: mirumne si inter Sacerdotes multi evadant Ecclesiæ nihil utiles? Clerus tamen non quod brevior, ideo operosior, doctior, ædificantior. In minore numero major est fere occupatio, major opera, minusque periculum otii, & dissolutionis: at minor etiam æmulatio, minor electio, quæ fieri possit ad officia graviora, minus auxilium spirituale populorum. In majori numero ad munus quodvis concursus est magnus, & sollicitus: in quo concursu quot egregii in omni genere Ministri, quales frustra sperentur in parvo numero? Est etiam jus Ecclesiæ, necui impediatur Vocatio Divina ad sacrum Ministerium: sic exigit bonum Religionis, quod politico præstat, atque ea libertas, qua quisque fruitur ad Statum eligendum.

IX. Est insuper medium ad salutem animarum conservatio Fidei, & Sacramentorum, & legum, & disciplinæ; animare omnia Ecclesiæ membra ad proprias obligationes: abusus reparare, & quiqui bono animarum nocent, perversos mores,

Ergo est Ecclesiæ potestas inspectionis supra Gregem Christianum, advigilandi, notandi, visitandi, providendique monitis, reprehensionibus, præceptis, legibus, pœnis. Non est regimen sine rerum notitia, nec notitia sine inspectione. Ergo est, ut dixi, Ecclesiæ potestas inspectionis ad reparandam, tollendamque ignorantiam, negligentiam, errorem, dissolutionem. Omnis societas pervigil esse debet ad avertendum quod perturbat, aut nocet. Ergo Ecclesia etiam vigilare debet. Et sane hoc usi sunt jure Apostoli visitando Ecclesias, corrigendo, & per literas admonendo. Omnis Potestas Summa jus habet mittendi literas, & edicta ad nuncianda, præscribendaque facta, quæ concernunt publicum bonum, & quæ ipsi adversantur, prohibenda. Ergo etiam Ecclesia, hoc est, Episcopi, & Papa jus habent absolutum præcipiendi, publicandique Encyclicas, & literas Pastorales ad ea docenda, & præscribenda, quæ spectant Dei cultum, & salutem animarum, & interdicenda quæ iis nocent, scripta etiam, & libros. Eripi nequit Ecclesiæ jus ejusmodi, quin violentur jura Potestatis Summæ, & ratio sit Deo reddenda damno-

rum, quæ inde animabus, ac Religioni profluxerint.

X. Sunt ad faciendum ut leges obſerventur medium efficax pœnæ tranſgreſſorum. Eſt ergo jus Eccleſiæ ad inſtituenda examina, ad proceſſus, ad incarcerandum, judicandum, plectendum. Omnis Status ſemper putavit efficacem hanc agendi rationem: cur ergo Eccleſiæ negetur?

XI. Pro animarum ſalute ſunt neceſſaria Verbum Dei, Sacramenta, Miſſa, Preces. Ergo eſt jus Eccleſiæ ad congregandos in templis, ac ſi hæc non ſuppetant, alibi Fideles propter Dei Verbum, Sacramenta, Miſſam, Preces. Apoſtoli, & primorum Fideles ſæculorum uſi ſunt hoc jure, etiam Principibus repugnantibus, congregando ſe occulte, & quandoque publice: quemadmodum evenit, repugnante Modeſto, Miniſtro Valentis Imperatoris. Hoc ſine jure Eccleſia in ruinam vergeret, privata ſcilicet externo uſu Religionis.

XII. Ad conſervandam Fidem, & Religionem utilia ſunt Concilia. Ergo jus eſt Eccleſiæ ad Concilia cogenda. Omnis Status jus habet ad ſe congregandum in communem conſultationem, communemque cognitionem, ac deciſionem rerum ſuarum;

& publici boni. Ergo Ecclesia item jus habet cogendi Concilia ad communem consultationem de rebus Religionis, & animarum. Apostoli in Conciliis Hierosolymitanis, atque eorum successores in primis sæculis usi sunt eo jure sine laicali dependentia: sæculo secundo inita sunt sedecim Concilia, tertio duodequadraginta, ac centumquinquaginta quarto (V. Durand. Histoir. du droit Can.) Jus illud non est Principibus datum; nec possent ipsi eodem uti ad cogenda Concilia generalia. Nam quis Principum imperat supra omnia Regna Catholica, atque Christiana? Convocarunt quidem aliquot Imperatores Concilia; attamen Papæ, Ecclesiæque consensu, quo eidem opitularentur, expensasque supplerent.

Objiciunt quidam, absentiam Episcoporum vergere in detrimentum Status, jusque adeo Principibus esse ad illud avertendum. Respondetur autem, universale commodum Ecclesiæ prævalere particulari. Præterea non omnes Episcopi ad Concilium eunt. Dicunt alii, periculosam esse tot Episcoporum congregationem. Respondetur; ecquid vero timendum ab inermibus, & quibus Religio concredita est, qua sublata deest

quoque pretium? quid timendum ab hominibus affectis etiam Statui?

XIII. Animarum saluti necessarii sunt actus Cultus externi, cum sit per se ipsa Religio Christiana externa, & publica, exigatque Deus tributum internum, & externum. Ergo est Ecclesiæ jus in res externas, quæ externum cultum concernunt, utpote oportunas, ac necessarias fini Spirituali, hoc est, æternæ felicitati. Sunt autem pro externo cultu necessaria Vasa sacra, Altaria, decens eorum ornatus, materiæ Sacramentorum, apparatus Sacer, &c. Ergo habet Ecclesia jus absolutum ferendi leges his super rebus. Ad hæc Templa, & res sacræ sunt juris Divini: non ergo sunt subdita Principatui. Jus porro illud Divinum agnoscunt Instituta Justiniani: " *Nullius*, inquiunt, *sunt* res Sacræ, & ,, Religiosæ, & Sanctæ: quod enim Di- ,, vini juris est, nullius in bonis est... ve- ,, luti Ædes sacræ, & *donaria*. " (§. 7, & 8. de Rer. divis.) Idem edocuit Imperatorem Julianum Gentilis Pontifex Arsax. (Fleuri Hist. li. 15) comprobaturque ratione, & S. Scriptura; ratione quidem, nam res privatæ quum donantur Publico, fiunt juris publici, quum Regibus, Regii:

eccur consecratæ Deo res, eique donatæ non sint juris Divini? S. Scriptura docet, quicquid consecratum, oblatum, donatum est Deo, vel homo sit, vel animal, vel ager, non amplius in libera hominum dispositione esse: *Quicquid semel consecratum fuerit Domino, sanctum sanctorum erit*, Levit. ult., hoc est, interprete Alapide, *Omnino sanctum, & consecratum erit Domino*, & Calmeto, *Jure irrevocabili*. Quibus accedit Reg. 51. in 6.: *Semel Deo dicatum non est ad usus humanos ulterius transferendum*. Sanctus quoque Ambrosius, juris profecto publici non imperitus, Imperatrici volenti Templum donare Arianis, *Ad Imperatorem*, inquit, *Palatia pertinent, ad Sacerdotem Ecclesiæ: publicorum tibi mœnium jus commissum est, non sacrorum*, Ep. 20. ad Marcellin. Si, quas enumeravimus, juris sunt res Divini, non ergo ad Principem, sed ad Ecclesiam attinet earum cura, utpote sacrorum Administram.

Eybel docet, non esse Ecclesiæ jus ad utendum nisi mediis spiritualibus, potestati suæ analogis, idemque dicit de pœnis, quæ nequeunt esse nisi spirituales. Reponitur autem primo, si verum id est, posse argumentum a pari fieri: Ergo ne Princeps qui-

dem sæcularis jus habet utendi mediis, & pœnis, quin sint analoga naturæ temporalis potestatis: ergo propter bonum temporale adhibere non potest nisi pœnas, mediaque temporalia; proinde jus non habet ad exigenda juramenta in contractibus, & in tribunalibus, ne juramentum quidem fidelitatis; sunt enim juramenta vinculum spirituale, ac Religiosum, neque analogum Potestati temporali. Deinde si vera esset doctrina Eybeli, ne Ecclesia quidem Hebraica jus habuisset ad Deum honorandum, placandumque Sacrificiis animalium; sunt enim res temporales, spiritualique non analogæ Potestati. Neque Ecclesia Catholica jus haberet ad utendum rebus, quæ sub sensum cadunt, ut sunt Imagines, Cruces, Sacramentalia, & Sacramenta ipsa quatenus habentia materiam sensibilem: neque ad utendum materialibus ullis rebus, tametsi necessariis in Dei cultu externo. Ecquis vero Catholicus neget Ecclesiæ jus in res ejusmodi? Constat homo ex anima, & corpore, quare opus habet ut ad Deum ducatur, atque ad suum finem spiritualem mediis sensibus, rebusque sensibilibus: " *Si incorporeus* „ *esses*, inquit S. Joannes Chrysostomus, „ *incorporea* dona tibi Deus tradidisset:

„ quia corpori anima tua conjuncta eſt, „ ideo ſenſibilibus rebus tibi intelligenda „ *traduntur*." Hom.32. in Matth. Chriſtus, qui Eccleſiam ſtabilivit, & habebat ampliſſimam poteſtatem, *Data eſt mihi poteſtas & in Cœlo, & in terra*, eamque impertivit Apoſtolis, *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos: et quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo*, Chriſtus, inquam, annon ipſe dederit Eccleſiæ poteſtatem neceſſariam, & oportunam ad ſeligenda, adhibendaque media efficacia ad aſſequendam felicitatem æternam? Atqui etiam ſenſata, & materialia poſſunt eſſe medium oportuniſſimum ad ſalutem. Ecquid negetur Eccleſiæ poteſtas illud adhibendi? Jam de pœnis, Eccleſia jus habet utendi iiſdem, quibus uſus eſt Chriſtus, uſique ſunt Apoſtoli, Eccleſiæ fundamenta: Chriſtus autem, & Apoſtoli uſi ſunt pœnis etiam temporalibus: Chriſtus flagello eſt uſus in Templi profanatores; Apoſtoli excommunicatione uſi ſunt, qua privarunt communione etiam, & ſocietate civili: *Nec cibum ſumere*, I. Cor. 5. Demum pœnæ ſpirituales eos coërcent, qui timent; ſed quidam non timent, timent vero temporales: cur ergo his uti Eccleſia non poſſit, quum opus eſt,

ut

ut timere se faciat? Sane uti se posse judicavit ab usque primis sæculis, quibus adhibuit flagella, carceres, exilia.

XIV. Si Ecclesiæ jus est in ea, quæ spectant Divinum cultum externum: ergo jus habet ad ferendas leges omnes, quas retur esse necessarias, & utiles ad venerationem, pretiumque rerum, locorum, & personarum Sacrarum: ad avertendam irreligiositatem, & irreverentiam, quæ *vix ab impietate sejuncta est*, juxta monitum Tridentinum Sess.20. *de evitand.*

XV. Ad majus autem pretium, venerationemque Sacrorum locorum utile, ac necessarium est Asylum, ad devitandas irreverentias, & profanationes: ergo jus est Ecclesiæ ad illud constituendum, amplificandumque, aut restringendum, uti prævaleat respectus jam ad honorem Divinum, jam ad tranquillitatem Status, ad locumque, & ad delicta. Tum ad ipsam spectat judicare qui Asylo gaudeant, qui non gaudeant. Reverentia, atque honor, qui Principi debentur, exigunt ut ejus Palatia, Statuæ, Ministri sint sacrosancta, & inviolabilia: & veneratio, cultusque, qui debentur Deo, non exigant, ut Templa Deo dedicata, ac Personæ sacræ sint tantumdem

obſervata? Damnabilis temeritas eſt quod Satelles aliquis intret armatus Magnatis domum; nec ſit tamen, quod idem intret in Templum ad eum extrahendum, qui illuc confugit? Onias, ſummus Sacerdos, quum ſe oppoſuit Heliodoro volenti eripere pecunias in Templo depoſitas, non aliam cauſam adduxit niſi debitam loco ſacro reverentiam: *Pro Templi veneratione; & ſanctitate omnino impoſſibile eſſe*, 2. Mach. 3. Eidem rationi nitens Eccleſia conſtituit, defenditque Aſylum; *loci reverentia*, Conc. Arauſ.I. Can.5. Cultissimæ quæque Nationes, Græci, Aſsyrii, Ægyptii, Romani conſenſerunt mereri Templa reverentiam, & immunitatem a Principis juriſdictione. Eccleſia ſemper Aſylum defendit, & SS.Patres ſevere reſtiterunt poteſtati civili in ejuſdem tutelam, judicaruntque ſpectare ad Eccleſiam auctoritatem legislatricem, cognitionemque juris, & facti in Aſylo: reſtitit S. Baſilius Præfecto Ponti, defendit S. Joannes Chryſoſtomus Eutropium in Templi perfugio, Sineſius Ptolemaidæ objecit ſe Andronico, & S. Ambroſius militibus Stiliconis, &c.

Opponunt quidam, Aſylum eſſe privilegium Principis, & quoniam abuſuum cauſa

esse potest, tolli ab eodem debere. Respondetur autem, ante Principatus de Asylo leges fuisse illud in usu positum, ut constat ex Concilio Sardicensi an.347., ex memorato facto S. Basilii, aliisque duobus, quæ narrant Zosimus, & Amianus Marcellinus, quæ omnia præiverunt legi Theodosianæ, quæ habetur prima in re Asyli. Deinde Ecclesia, omni secluso privilegio, meretur hanc reverentiam. Nec vero tolli potest quod bonum, utile, & justum est, quoniam abutatur iniquus aliquis: secus tollenda essent Sacramenta, quibus abutuntur multi sacrilegi, & Templa ipsa, quoniam profanari solent: extirpandæ essent vites, quia plures abutuntur vino: tollendaque plura civilis gubernationis, quorum abusus committi solent. Ecce quam prave ii ratiocinantur, qui ob abusum in regimine Ecclesiastico continuò volunt sublatam Ecclesiæ jurisdictionem, ac vim coactivam, censuras, processus, carceres, &c.; neque considerant, omnes esse homines, ac, si quandoque peccat Superior aliquis Ecclesiasticus, peccare itidem posse Judicem, Superioremque sæcularem; nec securiorem non esse administrationem bonorum Ecclesiæ in manu sæculari, quam sit in Ec-

XVI. Venerationi Sacrarum Perſonarum utile eſt, ac neceſſarium, quod ſint ipſæ exemptæ a foro Laico: ergo jus habet Eccleſia ad conſtituendam ejuſmodi exemptionem. Utilem hanc eſſe patet judicio Eccleſiæ, cujus eſt judicare quæ res venerationem, quamque mereantur. Eccleſia porro judicavit, cenſuitque incommodum, quod Laicus Eccleſiaſticum judicet; idquod demonſtrat P. Benettis adducens Canones Eccleſiæ: probatur inſuper judicio Principum, qui legibus ſuis faverunt Eccleſiaſticæ immunitati: Conſtantinus M. *Conveniens*, inquit, *non eſt ut homo judicet Deos*: Theodoſius, & Valentinianus: *Fas non eſt ut Divini muneris Miniſtri temporalium Poteſtatum ſubdantur arbitrio*, l.7.Cod. de Epiſ. Carolus M. Religionem Sacerdotum viliorem effici, ſi Laicali foro ſubiicitur, l.5. c.179. Capitul.; alios refert laudatus Benettis. Probatur adhuc bono ipſo Religionis, ad quam longe refert decor, & honos Sacerdotii: id quod oſtendit Alexander Roſſ. in libro de Religion., qui, quamvis hæreticus, Rempublicam, ait, fabricatam eſſe ſuper Religione, & Sacerdotii bonore ſuſtineri: ac ſicut ſublata Religione ruit Regimen, ita ſublato, vel de-

presso Sacerdotio decidere etiam Religionem. Et non est deprimere Sacerdotium Sacerdotes alicujus reos criminis confundere cum infima plebe in eodem foro? scribere eorum crimina in actis publicis, & nota omnibus facere, ea, inquam, crimina quæ religiosissimus ille Constantinus voluisset operta Imperiali purpura, nequis offenderetur? In Magnatis, atque etiam Nobilis crimine consulitur nobilitati, & cognationi; nec mereantur Ecclesia, Christus, Sacrum Ministerium ut sibi consulatur in crimine Sacerdotis?

XVII. Saluti animarum, ac Religioni sunt necessarii Ministri: hi sine congrua sustentatione esse non possunt. Ergo Ecclesiæ jus est ut imponat Fidelibus pro Ministrorum victu contribuere primitiis frugum, aut decimis, aut oblationibus, aut beneficiis: utque prohibeat, ne isthæc auferantur, aut alienentur: Ergo est jus Ecclesiæ in bona temporalia, quatenus ea sunt necessaria Religioni, & saluti. Ac reipsa Ecclesia semper hoc est usa jure, cum præcipiens decimas, &c. tum leges ferens contra abalienantes Ecclesiastica bona, tum prohibens tributa, & collectas, quæ in ipsis fiant; ne scilicet Ecclesiarum paupertas

ſpirituale inferat detrimentum animabus. Nam quum Eccleſia eſt pauper, non concurrunt ad ejus Miniſterium niſi abjecti, parvæque ſcientiæ homines, neque id accidit ſine animarum nocumento: quodſi bona Parochiarum eſſent alienabilia, Parochi nunc divites eſſent, nunc egeni: quotque viciſſitudinibus non eſſet Sanctuarium obnoxium? Adhæc Principi jus eſt ad alimenta cum ſua, tum Miniſtrorum, poteſtque ea exigere a ſibi ſubditis, etiam vi. Ergo & Princeps Eccleſiaſticus jus habet ſimile in Fideles. Sanctuarii Miniſtri poſſintne ſine victu eſſe? *Numquid non habemus poteſtatem manducandi?* inquiebat Apoſtolus. Provideantne ipſi ſibi, & gratis ſerviant? *Quis militat ſuis ſtipendiis? quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat? Si nos vobis ſpiritualia ſeminavimus, magnum eſt ſi nos carnalia veſtra metamus? Neſcitis, quoniam qui altari deſerviunt, cum altari participant?* 1. Cor. 9. Chriſtusne creaverit Summam Poteſtatem Spiritualem ſtabilem, quin ei conceſſerit præſidia, quibus conſiſtat?

Declamatur a multis, Eccleſiam eſſe nimis divitem, debere autem eſſe pauperem, quandoquidem in paupertate fundatam.

At qui ita declamant, num adamant ipſi vitam pauperem, ac divitiis anteferunt? quot ſunt Eccleſiæ Parochiales pauperrimæ, ac ſine congrua ſuſtentatione? Eccur conjicere oculos ubi eſt abundantia, non eo ubi eſt egeſtas? Templa minantur ruinam, ſuppellectilia ſunt miſera, & Parochi, ut vivant, coguntur quandoque laborare, non ut eos decet. Quod ſiquæ abundant bonis Eccleſiæ, nonne idipſum eſt in ſubſidium pauperum ipſius Status, quare Canones bona Eccleſiæ vocant *patrimonium pauperum*?

At abutuntur Eccleſiaſtici bonis Eccleſiæ, fueruntque Apoſtoli pauperes. Quid autem? Veliſne, ut Eccleſiaſtici omnes ſint totidem Apoſtoli? Et quoniam abutuntur bonis nonnulli, viventes in faſtu, luxu, & mollitie, ideone debeant omnes eſſe in inopia, quin habeant unde & vivant ipſi, & egenis ſubveniant, & Templa exornent? Etiam Laici divitiis abutuntur: cur declamare in abundantiam Eccleſiarum, qua, dum abutuntur alii, alii optime utuntur?

XVIII. Demum Eccleſiæ poteſtas eſt ſuper temporalia *ratione peccati*. Jus enim habet, ut ad procurandam æternam ſalutem, ita ad avertenda peccata, quæ illam

impediunt. At in temporalium usu rerum admitti peccata possunt. Jus ergo est Ecclesiæ ad temporalia ita regulanda, ut sine peccato sint. Quare præscribere potest regulas, quibus excludantur Usuræ illicitæ in Mutuo, aliæque injustitiæ in Contractibus: potest hos reddere invalidos; potest doctrinas eorum damnare. Quæ verò avertunt peccata Regulas Ecclesiæ debent Principes Christiani suscipere, cum sint ipsi Oves Christi, qui per Vicarium suum illos regit.

FINIS.